

## SIFRIDUS

XVIII,

EPISCOPUS PADERBORN.

**A**B excessu Evergisi haud multum vacua Paderbornensis Episcopi sedes. Huic enim, maturantibus Canonicis electionem, *successit Sifridus*, inquit Gobelinus, *majoris Ecclesiae Præpositus*. *Et præfuit Ecclesiae Paderfontanae annis novem, mensibus IV:* qui tamen non nisi septem fuere, ut ceteri fatentur, & nos ordine exponemus. Virum hunc aetate maturum, moribus gravem, & multos annos versatum, probatumque in clero hujus Cathedralis Ecclesiae, testantur tot literæ Bernardi Episcopi, in quibus inter Canonicos testis; & Evergisi Episcopi, quibus majoris Ecclesiae Præpositus memoratur, cum Almaro Decano. Familia interim, ex qua ortus, incerta, nec in annalium memoria prodita; nisi quod tres rosas, quæ Arensbergiorum, aliorumque Comitum, ac nobilium fuere insignia, Kerfenbrochius ex scuto ejus gentilitio producat.

Evergiso  
Ep. succedit  
Sifridus Ec-  
clesiæ Pa-  
derb.  
Præpo-  
situs.

Annus Christi 1179.

Alexandri III Pont. 20.

Friderici I Reg. 28. Imper. 25.

Sifridi Ep. Pad. 1.

Incidit Episcopatus ejus in difficillima & conturbata Saxoniae tempora, quæ Episcopos Saxoniae ex dissidio belloque adversus Henricum Leonem implicuere. Imperator postquam Herbipoli Natalitia Christi peregerat, Wormatiam concessit ad conventum Principum, qui per octavam Epiphaniae indictus erat, ad dissidentes inter se Colonensem Archiepiscopum & Henricum Leonem componendos. Et cum omnes Principes Imperatorem sollicitarent, ut jus diceret, multique accusationibus adversus Leonem implerent aures Imperatoris; Leo non minus Imperatori, quam causæ suæ diffusus, vadimonium deseruit. Quo haud leviter offensi Principes; quod Cæsaris & Comitiorum auctoritatem spretam dicerent. Cæsar ne quid præcipitaret, Magdenburgi comitia indicit, ad quæ Leo postulatus; cum nec istuc se sisteret, omnium Principum iras in se accendit; adeo ut Theodoricus Lusatiae Marchio duellum illi offerret, tam certus

Godefrid.  
Arnold.  
Lutec.  
Chron.  
Mont.  
Seren.  
Gobelin.  
Chron. Co-  
lon.  
Chron. M.  
Belg.  
Henricus  
Leo, cum  
sæpius ci-  
tatus non  
compa-  
ret, ut ho-  
stis Impe-  
rij con-  
demna-  
tur.

Ppppp

accu-